

[*en marge*] Visitatio plebis Canalis Marianensis dioecesis

Die 3 martii praedicti [1761] illustrissimus ac reverendissimus dominus mane hora 14 se contulit ad visitandam ecclesiam parochialem Beatae Virginis Mariae in Caelum Assumptae dicti loci Petralbae seu Teti, et servatis omnibus de more celebravit missam et deinde habuit absolutionem mortuorum; et mox visitavit sanctissimum Sacramentum, quod bene retentum deprehendit eoque benedictionem fuit impertitus.

Perexit ad baptisterium, quod satis decens est; sed parochus libere confessus est se sacra olea non renovasse, cum praeterito anno habere nequiverit. Altaria dictae ecclesiae sunt quinque praeter altare maius. Dictum altare maius sancto Roccho dicatum, secundum beatae Virgini Rosarii, tertium sancto Iosepho, quartum Animabus Purgatorii, quintum dicatum sancto Francisco Xaverio, sextum sancto Ioanni Baptistae. Modo construitur aliud altare sive cappella. Tam ecclesia quam altaria praedicta manentur a populo et sufficienter ornata; deest enim solum pavementum, prout ex decretis, quod confici mandavit. Caetera vide in inventario.

[69r] Antiqua ecclesia, ut superius dixi, beatae Virgini Mariae dicata est; sed modo utuntur dicta ecclesia comparochiali Sancto Rocho dicata, et tamen retinet parochialis antiquum titulum.

Annui redditus parochi sunt librae 500. Familiae 76. Sacerdotes 5. Animae 401. Altare privilegiatum altare Animarum Purgantium. Et ita visis omnibus ad suam residentiam rediit hora 17.

Modernus parochus est sacerdos Ignatius Philippi loci Casaconi (etc.). Post prandium perexit illustrissimus dominus ad visitandum oratorium Sanctae Mariae, antiquae parochialis dicti loci, in qua unum est altare sufficienter retentum; et custoditur ecclesia praedicta ab eremita, qui eleemosinas quaerit easque dividit cum ecclesia seu oratorio, quibus manentur (etc.), et ita (etc.) ad suam residentiam rediit.

[...]

[71r] Die 5 dicti illustrissimus ac reverendissimus dominus in ecclesia viceparochiali Sancti Rochi seu (etc.) consecravit viginti et unum altaria portatilia et deinde celebravit missam, et functionem complevit circa horam 19.

Die 6 dicti illustrissimus dominus mane celebrata missa perexit ad ecclesiam Sanctissimae Annunciationis loci Pedani, ubi reverenter fuit receptus a reverendo Bartolomeo Grimaldi parochi. Factis de more precibus, visitavit sanctissimum Sacramentum, quod deprehendit decenter retentum, eoque parochus populum benedixit.

Etiam baptisterium et sacra olea sufficienter adservantur. Duo sunt altaria. Maius, beatae Virginis Mariae Annunciatae; secundum a cornu epistolae, sanctissimi Rosarii, ubi est erecta societas (etc.); et dicta altaria sunt sufficienter ornata. Ecclesia admodum angusta est, tamen huic populo sufficiens.

Redditus parochiales sunt librae 450. Familiae 10. Sacerdos solus parochus. Animae 45. Altare privilegiatum altare maius.

[71v] Antiqua parochialis dictae ecclesiae olim erat ecclesia parochialis Sancti Ioannis Evangelistae, quae modo pro oratorio seu ecclesia campestri inservit; et modo in ea unum est altare, ac sacra suppellectilia asservantur in praedicta comparochiali Sanctissimae Annunciationis, et propterea illustrissimus dominus ad eam non accessit, sed hora 18 circiter ad suam residentiam rediit.

Die 7 dicti mane illustrissimus ac reverendissimus dominus in dicta comparochiali Sancti Rochi seu (etc.) habuit ordinationes prout in registra (etc.).

Die 8 hac mane illustrissimus dominus iterum celebravit missam in praefata ecclesia et ut alias communionem generalem habuit; et fuit quidem maximus populorum concursus.

Notandum est quod dicta loca, nempe Tetus et Pedani, sunt loca districtus plebis Cacciae, reliqua, nempe Lama, Ortaca et Novella, sunt loca plebis Canalis seu Ostriconi; idque indicare duxi, ne postea oriatur difficultas, si ita reperiantur indicata.

[...]

Missionarii vero sacras missiones prosecuti sunt in dicto **[73r]** loco Teti Petralbae usque ad diem 12 eiusdem mensis martii, et deinde quieverunt usque ad infrascriptum diem.

[...]

Pro ecclesia Sanctissimae Annunciationis loci Pedani

Cum illustrissimus ac reverendissimus dominus reperiisset omnia bene se habere, et ecclesiam licet angustam populo tamen huius loci sufficientem, laudando eiusdem populi pietatem eum ad perseverandum enixe hortatus est.